

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 4127

**Auteur(s) :** Gautier [particulier]

**Auteur(s) :** Marcilly-sur-Eure, Notre-Dame du Breuil-Benoît (abbé)

**Auteur(s) :** La Bonneville-sur-Iton, Notre-Dame de La Noë (abbé)

**Auteur(s) :** Wernon de Verberie, Verneuil-sur-Avre (bailli)

**Genre d'acte :** notice

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** ...1230...

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Enquête sur les baux de la forêt de Bort.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1144, p. 312-313.

## Dissertation critique

Datation proposée par L. Delisle.

Texte établi d'après a

Inquisitio facta de ballis in foresta de Bort per manum magistri Galteri, per viros religiosos abbates de Brolio et de Noa, et per Wernonen de Verberi, ballivum Vernolii.

Ricardus de Valle, juratus, dicit quod ipse et Radulfus de Cliquebuef tenent de suprisiis in foresta de Bort tres virgatas et tria circiter quarteria pro XII solidis IX denariis redditus, eidem traditas per manum castellani tunc temporis ; sed postea mensurate fuerunt per manum magistri Galteri, et propter hoc habuit idem Galterus unum convivium de XXX solidis.

Gillebertus de Lerie, juratus, dicit quod magister Galterus tradidit ei tres virgatas pro tribus solidis, et propter hoc nullum fecit ei servitium.

Gaufridus Bequeden, juratus, dicit quod magister Galterus tradidit ei duas acras per VIII solidos redditus, et dedit ei propter hoc duo sextaria avene.

Adam Rufus, juratus, dicit quod magister Galterus tradidit ei unam acram et dimidiam, de mandato Johannis de Vineis, sicut dicit, per IIII or. solidos, sicut dicit, et exinde habuit magister Galterus unum convivium de XIX solidis ; et pro quadam arbore cissa a dicto Adam in dicta terra, X solidos pro emenda ; et ille qui loquitur dedit servientibus foreste duo sextaria avene, ut amovere posset unam hayam que erat super terram illam.

Gamelinus Tegulator, juratus, dicit quod magister G. tradidit ei quinque acras pro IIII or solidis de qualibet acra, et propter hoc dedit eidem Galtero in vino XX solidos, et de arboribus que erant super eamdem terram quas amovit

habuit idem Galterus XX libras vel amplius, et pro introitu illius terre habuit dictus Galterus sex libras a dicto Gamelino.

Thomas Figulus, juratus, dicit quod magister Galterus tradidit ei duas acras, pro qualibet IIII or solidos reddendo. Exinde habuit magister Galterus pro introitu LX solidos.

Robertus Tegulator, juratus, dicit quod magister G. tradidit ei unam acram pro IIII solidis, unde habuit de introitu LXXV solidos. Item, duas acras et dimidiā pro IIII or solidis de qualibet acra.

Ricardus Clemens, juratus, dicit quod magister G. tradidit ei unam acram et dimidiā pro VI solidis redditus ; unde habuit pro introitu IIII libras, teste Gamelino ; et pro uno arbore cissa in eadem terra a dicto Ricardo, XX solidos, et adhuc est arbor super terram.

Nos vero duo abbates de Noa et de Brolio excellentiam domini regis requirimus pro hominibus qui dictas terras essartaverunt et contulerunt denarios, ne amitant penam suam et catalla.

De tempore Odardi panetarii :

Gaufridus Bequeden juratus, dicit quod Odardus Panetarius tradidit ei duas acras et unam virgatam in foresta de Bort pro VI solidis de qualibet acra, quam terram idem Odardus primo tradiderat Rogero de Furno pro VII or solidis de qualibet acra, et dictus Rogerus debebat dicto Odardo VII libras pro uno dolio vini quod eidem Rogero vendiderat, et cum dictus Rogerus reddere non posset dictos denarios, dictus Odardus abstulit ei dictam terram et fecit mercatum cum dicto Gaufrido, qui loquitur, de eadem terra, ita quod dictus Gaufridus reddidit dicto Odardo dictas septem libras, et deliberavit eidem predictus Odardus terram illam, et pro deliberatione habuit XX solidos in introitu a Gaufrido supradicto ; item, dictus Odardus tradidit ei, qui loquitur, II acras pro VIII solidis, et dicit ille, qui loquitur, quod in illa terra scidit tredecim arbores, unde persolvit dicto Odardo pro qualibet arbore X solidos pro emendis.

Rogerus de Furno, juratus, dicit quod Odardus tradidit ei tres acras, pro qualibet VIII solidis redditus, quam terram dictus O. abstulit dicto Rogero, et tradidit illam Gaufrido Bequeden pro VI solidis de qualibet acra, ea ratione quod idem Gaufridus reddidit dicto O. supradictas VII libras, quas debebat ille, qui loquitur, quia non habebat facultatem persolvendi, et dicit ille, qui loquitur, quod non caperet de pena sua minus quam duodecim libras, et O. exinde a dicto Rogero non recepit nec habuit servitium.

Godefroidus Tegulator, juratus, dicit quod Odardus, castellanus, tradidit ei acram et dimidiā terre in eadem foresta, acra pro IIII solidis redditus, non mensuratas ; unde adhuc nondum fecit servitium nec redditum.

Thomas Le Potier, juratus, dicit quod Odardus tradidit ei quinque acras, pro qualibet IIII solidis redditus, unde idem O. habuit de introitu C solidos, et pro duabus arboribus ab eo, qui loquitur, X solidos pro emenda.

Uxor Petri Le Fromager, propter absentiam mariti, dicit per veritatem suam quod O. tradidit marito suo duas acras et dimidiā pro XVI solidis redditus ; unde habuit de marito suo unum modium avene ; testibus : Adam Le Ros et Gamelino ; et sunt.... arbores super terram illam.

Henricus Anglicus, juratus, dicit quod O. tradidit ei unam acram pro IIII solidis redditus ; unde habuit de introitu IIII or sextaria avene, et sunt super terram illam decem arbores vel amplius.

Nicholaus Rossellus, juratus, dicit quod Odardus tradidit ei unam virgatam pro II solidis redditus, unde habuit ipse et servientes XV solidos, et sunt septem arbores super terram illam.

Robertus Tegulator, juratus, dicit quod Odardus tradidit ei unam acram, in qua quedam domus est, pro VIII solidis redditus.

Ricardus Climens, juratus, dicit quod de arbore cissa super terram illam quam tradidit ei magister Galterus, et de qua cissura idem Galterus habuerat XX solidos pro emenda, habuit dictus Odardus pro eodem forefacto V solidos, et adhuc est arbor illa super terram.